

strorum per incomprehensibilem Filii Dei victimam; de geniis hinc bonis, hinc malis; de abscondita, & sapientissima Sacramentorum dispositione & natura; de conscientiarum in fide Christi tranquillitate ac pace; de provida Dei pro toto hoc universo, maxime vero pro hominibus, cura, & saluberrimo vitae rerumque nostrarum moderamine; de resurrectione ex mortuis, de judicio extremo, venturaque nullisque finienda seculis vel felicitate sanctorum, vel suppliciorum acerbitate apud impios; & quæ alia sunt doctrinæ ecclesiæ capitula, hoc tantum libro originaliter comprehensa & tradita, nec uspiam alibi obvia; eaque cum ridiculis Poetarum gentilium circa Deos suos fictionibus, cum Platonis, qui omnium proxime Dei naturam assecuratus fertur, philosophematis, cum Muhamedis denique & Talmudistarum somniis & commentis contendat: & vel manibus palpabit, quam inepta quæcunque humani ingenii figmenta, quam insulsa, quam præ nostris sordeant oraculis. Quo pertinent, quæ Paulus edidicerit, verba cedro digna 1 Corinth. II, 6 - 10. Quid dicam multis? Sapientissimi inter gentes & acutissimi Philosophi, de ingenii humani ad religionem, Deo dignam, excogitandam & præstandam, *αὐθεντίᾳ* convicti, si quid molirentur de Numinis verum dicere, in Ægyptum & Persiam profecti, eos sibi delegerunt magistros, qui ex Judæorum consuetudine & disciplina, sparsa purioris doctrinæ semina collegerant, quæ ab iis uteunque didicerunt, susceperunt, tractarunt, suis tamen nimium quantum deturpata commentis; ut sicubi eorum unus vel alter sobrie forte de divinitate aut cultu scripsit, id non ex suopte hauserit ingenio, sed ex hoc nostro fonte in rivulos suos, ut ut inscius ipse, derivavit (*).

4. *Consolationum suavitas*, quæ ad medullas penetrat, sauciam- δ) *consolatio-*
que conscientiam levat. Ubi mens nostra iræ divinæ sensu percul- *num suavitas:*
fa, vel gravissimis calamitatum procellis prostrata, vel spiritualium
tentationum turbine agitata, vel præteriorum recordatione in an-
gustias redacta, erigenda, confirmanda, tranquillanda & sananda

K 3

fue-

(*) Quod juvenili quondam conatu, gemina docere aggressi sumus disserta-
tione *de Veterum Philosophorum circa naturam Dei sententijs*, Lipsiæ
An. 1699.